



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

Luxemburgi, 1739

CLX. Clerici Scholarum Piarum capaces sunt possidendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)

Confirmatio
relatorum
decretorum.

Clausula.

aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolute fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem mature discussurunt, consilio, omnia, & singula acta, & Decreta in supradicto Capitulo intermedio, ut præfertur, facta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus literas, ac acta, & Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XVII. Aug. MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CLX.

Declaratur, Clericos Regulares Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum capaces esse possidendi.

Alia declaratio circa exemptionem a jurisdictione Ordinariorum, & Privilegia extat hujus Pontific. Constit. ed. 1684. Mar. 13. P. 4.

Dat. 3. Sept.
1686. An. 10.

I N N O C E N T I U S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Sigismundus a Sancto Sylverio Assistentis, & Procurator Generalis Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, quod cum dicta Congregatio post Concilii Tridentini celebrationem erecta fuerit, dilecti pariter filii Clerici Regulares ipsius Con-

gregationis in eorum Capitulo Generali quod hoc anno 1686. celebratum fuit, congregati decreverunt, petendam esse a Nobis, & hac S. Sede declarationem, quod essentia eorum paupertatis intelligatur juxta formam a præfato Concilio præscriptam cap. 3. Sess. 25. de Regular. Quare dictus Sigismundus Assistentis, & Procurator Generalis totius Congregationis præfata nomine Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur eandem Congregationem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, illiusque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat, consequendum, harum serie absolventes, & absolute fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, prædictam Religionem, sive Congregationem Scholarum Piarum esse capacem possidendi ad formam Sacri Concilii Tridentini auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem præsentibus literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit d. Congregationis Scholarum Piarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die III. Sept. MDCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Confirmantur Privilegia omnia, & Indulgentiæ Ordinibus S. Francisci de Observantia, & aliis utriusque sexus personis concessa.

Hic enunciatae Constitutiones sunt Clem. VIII. Constit. ed. 1595. Decem. 20. P. 6. Pauli V. Constit. ed. 1609. P. 7., & Urb. VIII. Constit. ed. 1625.

Preces Com-
procuratoris
Generalis.

Declaratio
prædicta jux-
ta formam
Concil. Trid.
cap. 3. Sess. 25.

Clausula.

CLXI.